unum non amoveo, scriptorem utique nihili, non nihili nuper fuisse donatorem. antiquariis nempe pretiosa rubiginis, cujus a nihilo æstimatio recedit, quantum ab incude distat. Sed commentum subito scribenti subit. Quid pro illis opibus exigere a me vel expectare potuisti, nisi vicariam opem. at unde illa mihi suppetere, pertinacissimis vitæ vicariis nihil sedulò curantibus, nisi illud unum ne fiant nihili? Ergo penes me, quod et hic referrem nihil fuit. et est denique nihil; quoque certus sis in nihilum non posse reverti, ego nihili manifestum nihil in nihilum excerideo, et ut capi reddo nihil, quæ sunt verbo, ago nihil, quæ sunt gratiæ, rogo nihil, quod est frustra: nempè ut me ames, qui porrò an sit nihil quod in me amante tui desideres, apud Castellum disputo, amante nimirum te ut nihil magis. Hagæ Com. 29. Nov: 1634.

Humanissimo Vriequefortio, qui me officiis onerat et beneficiis, nihil a me dici cupio: id est salutem gratiasque verbis auricis, quæ in thesibus et antithesibus nihili ignavè omisisti maximi Mystæ Nihilistæ.

(205)

Puteano. Puteane, dic, per omnes te deos oro, Cnobbarum qui properas amando, cur sævus in Hugenium cur iniquus es? Non possum uti molliori verbo; sævus et iniquus es, qui ἐν ἀδυνάτῳ me exerces, et in re tali fidem meam tentas, qualem si frater a me aut pater postulent, neque dem confectam ullâ industriâ neque seriò rogari credam. Mauritium Principem frustrà Cnobbarus allegat. Sub Frederico Henrico sumus, et quam diversâ rerum facie! Denique vir Amplissime, facere me jubetis, quod solis Græcis esurientibus obtigisse ajunt, in cælum ire. Vel quod Archimedi in animo fuisse, terrarum orbem movere. Quid si mitius me exagites, et quotiès tuâ caussâ Cnobbarus, vel privatæ rei, adire has regiones velit singulos commeatus imperes? Incumbam sanè totis viribus, ne repulsam feras. et impensam quam non dubiè isti homines metuunt mihi imputabo. ut aut Cnobbarus tecum fiam, aut certare me cum

cum illo sentias, uter impensius Puteano faveat. utri nominis tanti æternitas arctiori curæ sit. factum alienum ut præstem, nullo jure adigi possum. De Filiâ quod obiter moves, et quem viduæ sorori comitem destinas J. Cæcilio Puteano, curabitur sedulò. neque expectabo nisi Matronæ nomen, et Cæcilii, si qui sunt functione publicâ, titulos, quos in his Diplomatis vix impunè celes, vel omittas; deinde et comitatum utrusque, ne quâ in itinere obhæreant. Purpuram quam polliceris, non ego ut Austriacam, sed ut tuam expecto Amice, si amari me ut credam vis. Nihil a tè tuorum exeat, quod me latere sinas, lectorem tui, si quis uspiam est, mordicus amantem, et cum perpetuo stupore avidum. Argumento sit, quod ipsa tela, quæ in Rempublicam nostram, quò tuæ non displiceas, vibras alibi non lentâ mam, colligo patienter tamquam flosculos, et sepositâ tantisper irâ publicâ conviciis morderi amo, quia tuis. Sic Eugeniam tuam dilexi, sic purpuram non extimesco. Veniat sanè quidquid ejus modi scriptorum est; ubi argumento non licebit, Puteano favebimus, quem sibi patronum (ut et bilem in formica agnoscas) quam opportunè nacta est mala caussa. Ecce qui amicus cæpi, hostis desino, et amari tamen amicissime hostium postulo; si non alio jure, saltem isto, quo tu, ut dicebam, vel in hostem nimium sævus, in amicum nimium iniquus es. Scripsi Hagæ Com. XV. Cal: Jan. CIƆIƆCXXXIV.

Typographo nihil nunc repono
quæso discat excusare occupationum
mearum assiduos rotatus, tuo exemplo.
qui tam clementer de silentio meo
siles.

(206).

L. de Dieu. Ad meos pridem, Vir Amplissime, ad me nuper admodum reverti: compositis tot rebus, quas absente me Reipublicæ caussâ, domi vel turbatas vel neglectas reperire soleo. Ad amicos igitur etiam nunc revertor, et occurris inter primos: qui ignotum, immerentem, inscium, et optimæ, quâ excellis, literaturæ ignarum, eximio munere devincire voluisti. Ad illam humanitatem nihil.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 68rv
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1051